spondens ait. Credo dei fi-
lium esse ihesum christum. Et iussit
stare currum. Et descende-
runt uterque in aquam. phy-
lippus et eunuchus et bap-
tizavit eum. Cum autem
ascendissent de aqua. spiritus
domini rapuit phylippum.
et amplius non vidit eum
eunuchus. Ibat autem per viam
suam gaudens. Phylippus
autem inventus est in azo-
to. Et pertransiens evangeli-
zabat civitatibus cunctis.
donec veniret cesaream. no-
mine domini nostri ihesu christi. Gr.
Hec dies. V. Lapidem quem
reprobaverunt edificantes hic
factus est in caput anguli. a domino
factum est istud et est mirabile
in oculis nostris. Alleluia. V. Surr-
exit christus qui creavit omnia et mi-
sertus est humano generi. Secundum ioh.
In illo tempore. Maria stabat
ad monumentum foris
plorans. Dum ergo fleret
inclinavit se et prospexit
in monumentum et vidit duos
angelos in albis sedentes
unum ad caput et unum
ad pedes. ubi positum fuerat
corpus ihesu. Dicunt ei illi.
Mulier quid ploras? Dicit eis.
Quia tulerunt dominum meum et
nescio ubi posuerunt eum. Hec
cum dixisset conversa est retror-
sum et vidit ihesum stantem et non
sciebat quia ihesus esset. Dicit ei ihesus
Mulier quid ploras? Quem que-
ris? Illa existimans quia hor-
tolanus esset. dicit ei. Domine
si tu sustulisti eum. dicito
michi ubi posuisti eum
et ego eum tollam. Dicit
ei ihesus. Maria. Conversa
illa. dicit ei. Raboni. quod
dicitur magister. Dicit ei ihesus. Noli
me tangere. nondum enim
ascendi ad patrem meum. Va-
de autem ad fratres meos. et
dic eis. Ascendo ad patrem
meum et patrem vestrum. deum
meum et deum vestrum. Venit
autem maria magdalene
annuntians discipulis quia vi-
di dominum et hec dixit michi.